



*Handwritten text, likely a signature or title, in cursive script.*

Ee, 4

N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.  
N.



AD

N. 76.

SVPREMVM HONOREM  
MATRONAE  
ILLVSTRI BV S PIETATIS OMNI VM QVE  
VIRTVTVM DECORIBVS ORNATISSIMAE  
**ANNAE DOROTHEAE**  
NATV **HERSTELLIAE**  
VIRI

*ILLVSTRIS MAGNIFICI EXCELLENTISSIMIQVE*

DOMINI

**FRIDERICI HOFFMANNI**

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI  
A SANCTIORIBVS CONSILII ET VALETVDINIS TVTELA  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE SENIORIS PROFESSORIS MEDICINAE  
PRIMARI

COMITIS PALATINI CAESAREI MVLTORVM S. R. I. PRINCIPVM  
ARCHIATRI CELEBERRIMARVMQVE SOCIETATVM QVAE SCIEN-  
TIARVM INCREMENTIS STVDENT IMPERIALIS NATVRAE  
CVRIOSORVM PETRIPOLITANAE LONDINENSIS  
AC BEROLINENSIS SODALIS

VIRI DE RE PVBLICA OMNI LITTERARIA DEQVE  
ACADEMIA FRIDERICIANA ET PATRIA

PER OMNIA MERITISSIMI  
**DESIDERATISSIMAE CONIVGI**

A. D. XXII. SEPIEMBRIS

DECENTI RITV COMITATVQVE  
PRAESTANDVM

**FRIDERICIANAE PROCERES AC CIVES**  
QVO DECET OFFICIO

*INVITAT*

PRORECTOR

**MICHAEL ALBERTI**

SACRAE MAI. REG. BORVSSIAE AVLICVS ET CONSISTORII MAGDEBVRGICI  
CONSILIARIVS MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRAE PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS.

*HALAE MAGDEBVRGICAE*

TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.



† † †  
Er quam luctuosum funus est quod  
hodie inuitissimo, & quasi partes  
suas defugiente calamo, indici-  
mus. DEO enim ad se vocanti pa-  
ruit & ex longo ac molesto vitæ

stadio, cum pietatis, prudentiæ, & nulla vñquam  
vel secundæ vel aduersæ fortunæ vicissitudine aut  
flexæ aut fractæ virtutis verissima & perpetua lau-  
de decurso, ad capeffendam æterni gaudii semper  
virentem coronam accessit matrona præcipuæ in-  
ter nos dignitatis, viri a summis imperantibus con-  
spicue honorati, de sua patria de Fridericiana de  
omni re litterarum meritissimi per duodequinqua-  
ginta annos materfamilias coniunctissima, amplif-  
simæ domus suæ præsidium, & ornamentum a nul-  
la vñquam posteritate inficiandum. Sentitis iam  
quæ illa sit, quam amissam lugemus: & quum pro-  
fundum vulnus tegendo nec sanare nec doloris  
acerbitatem mitigare liceat; aperte profabimur,  
quam iacturam his diebus fecerimus. Scilicet  
mortalis corporis tamquam carcere exiuit, & ad  
immortalium mentium, quæ DEO patri per CHRIS-  
TVM filium eiusque merita conciliatæ & sanctissimi  
SPIRITVS donis perfectæ & exornatæ sunt, con-  
sortium discessit matrona nobilissima, omnibus de-  
coribus, quæ a virtute & fortuna proficiscuntur,  
splendidissima, ANNA DOROTHEA natuHER-  
STELLIA, viri illustris, magnifici & excellentif-  
simi, Domini FRIDERICI HOFFMANNI,  
omnium qui hanc academiam doctrina & meritis  
suis illustrent, Senioris meritissimi, nobisque con-  
iun-

iunctissimi collegæ, coniux, cuius comitate, fide & amabili consortio per dimidiam fere sæculi partem gauisus, inter omnia, quæ vitæ hominum accidere aduersa & molesta subinde solent, facile se sustentauit, ipsiusque canæ ac venerabilis senectutis incommoda quam leuisime pertulit.

Si vere quondam HIPPOCRATES dixit, grauem semper esse homini ab consuetis ad ea, quæ minus consueta sunt, transitum; omninoque affici nos aliqua molestia si a deterioribus, quæ longo nobis vsu familiaria facta sunt, ad meliora deuehamur: facile utique æstimabimus, quam grauius ferre dilectissimæ coniugis a se diuulsæ abitum debeat mœstissimus viduus, qui toties coram multis gratias diuinæ benignitati se habere & agere professus est, quod vitæ torique sociam sui nominis, DOROTHEAM, dei donum, fortitus esset, ita omnibus suis numeris perfectum, ut concipi potest, quod in mortalium rebus laude illa dignum censere maximo iure debemus.

Nam quum nulla esse possit arctior societas illa, quam honesti coniuges sancto proposito contrahunt; nulla etiam cogitari potest iucundior vita, quam istorum est, vbi conspirantibus in vnum voluntatibus, quicquid ad domus felicitatem pertinere potest, communi consilio deliberatur: vbi contendunt inter se alter quidem ut honesta ratione familiæ commoda & emolumenta amplificet, altera ut parta tueatur prudenterque dispense: vbi communium liberorum rectæ educationi æquali ardore & studio inuigilatur: vbi, quæ rationes dignitatis liberalisque splendoris efflagitant, ita ab ambobus exiguntur, ut nec immodica profusio facultates atterat, nec iusto restrictior frugalitas pupilli

filli contractique animi notam præbeat: vbi denique lætis & secundis rebus æque gaudent, & quando aduersa & tristia ingruunt ex vtraque parte sic obuiam itur, vt alter ex alterius salute suam pendere incolumitatem existimet, & quicquid potest consolando & erigendo ad alterius mœrorem abstergendum afferre exquisito studio elaborat. Quis neget magno & inæstimabili dono DEI beatum virum, cui talem duxisse coniugem diuinitus contigit? Quis non magis etiam beatum prædicabit, cui tanto tamque præclaro DEI dono vti fruique per vitæ maximam partem concessum fuit? Quo magis iustum existimare debemus dolorem, qui angit premitque venerandi senis & coniunctissimi collegæ animum, postquam destitutum se videt illius ope & consilio sociæ, quæ non rei solum familiaris omnem curam sustinuit, verum etiam, tamquam nihil hac omni administratione ageret, nisi mariti animum assidua meditatione & perpetuis laboribus defessum erigeret & recrearet, hoc sibi potissimum credidit datum esse negotium, vt amico blandoque colloquio a nimis protracta animi contentione subinde eum reuocaret, habendasque valetudinis rationes suggereret.

Haud sane minores acerbis lacrymis deflendi matris piissimæ & amantissimæ obitum habent causas filia, matris suæ simillima matrona, omniumque, quæ illam illustrarunt, virtutum expressa imago; & quem vnicum superstitem habuit, filius, qui patris vestigiis insistens, Aesculapii vera proles, artem, qua ille humano generi prodest, docendo & exercendo propagat, collega nobis coniunctissimus. Certe enim si pro eius quisque salute & vita merito sollicitus est, a quo vitam & ad bene

viuen-

viuendum pulcherrima præcepta ac plurima subsidia accepit: nemo reprehendere potest illam lamentationem, illos fletus, illum luctum, quibus matrem nunc prosequuntur, quæ omnes animi neruos contendit vt ex se natis ad veram firmamque felicitatem aptissima & promptissima omnia suppeterent.

Nolumus diutius immorari illis, quæ, iustissimi luctus causas commemorando, magis ad exacerbandum, quam deliniendum illum ac mitigandum valere videntur. Non enim diffidimus venerandi senis virtuti, quippe diuinis doctrinis a iuuentute delectati & innutriti, vt mirabiles DEI in nostris omnibus rebus sapienter disponendis per se facile sit cogniturus rationes, & cum omnibus, quos DEVS dilexit, etiam dum tempestates desæuiunt & cælum ruinam minatur, prouidentia & benignitati diuinæ laudibus & præconiis celebrandæ vacaturus sit. Eundem nouimus canæ senectutis suæ in ipsa viduitate ab vno DEO expectare præsidium, vt seriem illorum, quæ maxima & inexpectata sæpe ab eo consequutus est, seris nepotibus, & qui nascentur ab ipsis, recensendo delectari, & solatio ac viribus diuinitus suppeditatis suffultus porro inter nos, vt palma virescere, plurimisque nos fructibus maturæ ac multo rerum vsu comparatæ prudentiæ doctrinaeque suæ beare possit: quo fiet vt familiæ splendidissimæ plurima solatia accedant, orbitatisque calamitatem minus perferentiscat.

Quod superest impendemus tam illustri matronæ ortui ac præcipuis vitæ momentis ad posterorum memoriam propagandis. Patriam habuit urbem metallifodinis, argenti diuite prouentu valde nobilitatis, celeberrimam, *Clausthalium*, quam incolebat ANDREAS HERSTELLVS, vir prudens ac sollertissimus pharmacopoeus, qui in gra-

B  
tiam

tiam eorum, quibus eruendi ac excoquendi metalli  
cura demandata est, locupletes officinas, omnis  
generis medicamentis refertas, tam in hac vrbe  
quam vicina *Zellerfelda* intruxerat, serenissimo-  
rum Ducum Brunsvico - Luneburgicorum gratia  
concessas & priuilegiis munitas. Hic in matri-  
monio habebat ANNAM CATHARINAM,  
ERHARDI DRECHSLERI, fossoribus  
præfecti, filiam. Atque his parentibus nata est  
ANNA DOROTHEA, primum amoris  
coniugalis pignus, anno MDCLXXIII. a. d. XXIX.  
Iulii. Auum habuit IOANNEM, proauum vero  
CASPARVM, HERSTELLOS, viros integra-  
te vitæ & litterarum studiis clarissimos, Rectores  
scholarum, illum quidem in vrbe metallica *Grunda*,  
hunc *Huxtarie*. Auiam paternam coluit CA-  
THARINAM, viri summe reuerendi M. IOAN-  
NIS SIEGFRIDI filiam, qui in vrbe inelyta Ha-  
melia sacrorum mystrarum senior & antistes, quem  
Superintendentem vocant, per longam annorum  
feriem fuit, & nonagenario maior decessit: ma-  
ternam vero ANNAM MAGDALENAM ex  
CHORENGELIORVM stirpe prognatam.

Quum parentum sollicita cura adoleuisset & ad  
pietatem omnesque virtutes virgine honesto loco  
nata dignas formata esset, accidit vt ille, cui DEVS  
hanc coniugem destinauerat, nunc moestus eius  
discessu viduus, qui tunc Halberstadii munere phy-  
fici totius illius principatus fungebatur, celebra-  
te vicinorum metallorum ad propius inspicienda  
illa inuitaretur. Accidit illo itinere, vt innotesce-  
ret illi domui, quæ tantopere sibi dilectam AN-  
NAM DOROTHEAM, tunc XVI. annorum  
virginem, fouebat. Delectabat ipsum cum fan-  
ctitas & integritas morum ad priscam disciplinam  
compositorum, quam illa domus custodiebat, tum  
virginis



virginis florentissimæ & omnibus virtutibus ornatissimæ venustas, quæ tam profundum sui desiderium animo HOFFMANNI imprimebat, vt ab illo tempore nihil omitteret, quo tam amabili bono potiretur. Respondit votis successus, vt desponsatam sibi ac sollennibus nuptiis traditam a. d. X. Decembris A. MDCLXXXVIII. domum duceret.

Primum habebant hi coniuges domicilium Halberstadii; sed placuerat DEO vt HOFFMANNVS patriæ potius suæ decori ac emolumento esset, quam alii ciuitati. Transferebat itaque huc sedem inter primos, qui nascentem Fridericianam ornabant patres, ad medicinam & philosophiam naturalem docendam vocatus, A. MDCLXXXIII. & cum dulcissima coniuge totum illud, quod inde fluxit, si paucos annos Berolini exactos demas, in hac vrbe consumpsit. Sexies maritum suum edita prole exhilarauit ANNA DOROTHEA. Primam Halberstadii edidit ANNAM MARIAM, quæ eodem, quo nascebatur, anno MDCLXXXIX. cælo reddita fuit. Halæ in lucem prodiit ipso, quo hanc urbem ingressa fuerat, anno, FRIDERICVS ANDREAS, qui nondum exacto mense ad alteram vitam migravit. Sequuta est IOANNA DOROTHEA A. MDCLXXXIV. quæ florentissima ætate, magno vtriusque parentis luctu, febrilis morbi vehementiæ A. MDCCXVII. succubuit. Hanc nascendi ordine excepit MDCC. MARIA SOPHIA, quæ ante hos decem annos matrimonii iure ad virum illustrem, ac Potentissimi BORVSSORVM REGIS in supremo ac generali illo collegio, quod omnium prouinciarum ac regionum negotia maioris momenti dirigit, consiliarium intimum, Dominum ERNESTVM LVDOVICVM SCHMALZIVM, peruenit, & parentes suos florentissimis neptibus neptibusque, quibus DEVS porro faueat, ex-

hilarauit. Annus **CIOIOCCIII**. attulit **FRIDERICVM**, quem collegam honoratissimum colimus. Succedit **FRIDERICVS ERNESTVS** anno **CIOIOCCV**. quem iam strenue sacris Apollineæ artis operantem febris continua in thermis Carolinis anno **CIOIOCCXXXIII**. abripuit.

Contrahenda sunt vela, vt de placido beatoque ex hac vita egressu illustri matronæ aliquid adicere liceat. Corpus illa non vtiq; firmissimum nacta, postquam climactericum annum, quem magnum vocare solent, superauerat, sæpius spasmo ventriculi, noctu in primis, vexari cœpit. Decrescere vigorem, viresque sensim attenuari non obscure intelligebat. Sed grauioris morbi insultum vere nuper transacto experiebatur, quo nephriticos dolores satis vehementes, cum ventriculi insigni spasmo, ischuria aliisque molestiis experiebatur: quæ quidem omnia, dante deo, tunc ita sedabantur, vt Lipsia, vbi hæc passa fuerat, ad suos reuerti posset, cum eo tamen, vt numquam ex illo tempore pristinam alacritatem recuperaret. Initio mensis huius inuadebat illam postremus languor, occasione ab inconstantis & variæ tempestatis vitio, vt vero simile est, arrepta. Primo quidem initio catarrhalis videbatur febris esse, quippe capitis dolor, defluxiones ac tussis grauius, præcipue per noctem, vrgebant. Sed metum incutiebat febris vehementia, virium lapsus, respirandi difficultas, diarrhœa frequentes: quibus tandem catarrhi suffocatiui rudimenta aliquoties accedebant. Propinquum sibi instare huius vitæ finem plane præsentiebat: quare mature omnium, quæ relinquenda sunt, cogitationem omnem abiecit, nec mentionem eorum facere dignata est, nisi semel, cum dilectissimo marito paucis verbis mandaret, quantum suo nomine egenis distribuendum cuperet. Ceterum tota mente iam ad cælum conuersa mature accersendum cupiebat virum summe reuerendum, ædis Mariana antistitem, **FRANCKIVM**, vt sacræ cenæ vsu piisque precibus animam mox e vita migraturam confirmaret. Exsoluit tandem illam mortalis corpusculi vinculis, & ad se placida & facili analysi a. d. **XIX**. Septembris, inter horam septimam & octauam, euocauit ille qui arbitrio suo res nostras omnes regit, & tam nascendi horas, quam moriendi momenta constituit. Hunc vero rogamus vt cœlestiam omnium ac singulorum, quos hic casus conuulnerauit, diuino solatio ipsæmet leniat, venerandumque **HOFFMANNVM**, eiusque omnem domum, æterno flore, omnique felicitatis genere ornatisimam conferuet. Quod superest, rogamus vos, **ACADEMIAE FRIDERICIANÆ PROCERES ACCIVES**, velitis hodie, quando aduesperascet, frequentes adesse, optimæque & quondam florentissimæ matronæ reliquias decentibus exsequiis in cœmeterium suburbanum deducendas comitari. Facietis rem afflictis gratam, pie defunctæ honorificam, vobis, si moriendum esse pie cogitaueritis, præcipue fructuosam. P. P. a. d. **XXII**. Septembris **CIOIOCCXXXVII**.

Ua 933<sup>a</sup>

I. 4<sup>o</sup>

ULB Halle 3  
003 591 581



600





SVPREMVM HONOREM  
 MATRONAE  
 LLVSTREBVS PIETATIS OMNIVMQVE  
 VIRTVTVM DECORIBVS ORNATISSIMAE  
 ANNAE DOROTHEAE  
 NATV HERSTELLIAE

VIRI  
 GNIFICI EXCELLENTISSIMIQVE  
 DOMINI  
 CI HOFFMANNI  
 OTENTISSIMO BORVSSORVM REGI  
 CONSILII ET VALETVDINIS TVTELA  
 ANNAE SENIORIS PROFESSORIS MEDICINAE  
 PRIMARIJ  
 ESAREI MVLTORVM S. R. I. PRINCIPVM  
 MARVMQVE SOCIETATVM QVAE SCIEN-  
 TIS STVDENT IMPERIALIS NATVRAE  
 PETRIPOLITANAE LONDINENSIS  
 EROLINENSIS SODALIS  
 CA OMNI LITTERARIA DEQVE  
 FRIDERICIANA ET PATRIA  
 NIA MERITISSIMI  
 TISSIMAE CONIVGI  
 . D. XXII. SEPTEMBRIS  
 RITV COMITATVQVE  
 PRAESTANDVM  
 E PROCERES AC CIVES  
 O DECET OFFICIO  
 INVITAT  
 PRORECTOR  
 AEL ALBERTI  
 MAE AVLICVS ET CONSISTORII MAGDEBVRGICI  
 MAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSOR  
 PVBLICVS ORDINARIVS.

